



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Tertia. Argumenta contraria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

difficultatem, facile credo; si enim Confessor absolvere potest poenitentem sequentem opinionem Confessoris iudicio omnino improbabilem, facile assentiar nullam experiri difficultatem: at quis hoc digerat? De reliquo tanta est in ejus sententia praxi difficultas, quanta ut quis, admittis Probabiliorum principis, absolvere possit optinantem oppositum, quod, ut ostendi, vix possibile est.

Concludo, quod, juxta me, nullus Sacerdos judicans sibi certo improbabilem esse poenitentis opinionem, potest cum absolvere, quin si poenitens in ea opinione persistere velit, tenebitur adire Confessarium, cui ejus opinio sit saltem certo probabilis, ut absolvi possit. Nec obstat casus inculpabiliter conjugatorum, qui à Confessore scienter eorum matrimonium esse nullum absolvi possunt; quia tantum abest, quod conjugati illi à Confessore intruendi sint, quin ob gravissima mala inde secutura tenentur eos in sua bona fide relinquere. In aliis autem casibus, in quibus nil horum timetur, tenetur Sacerdos monere poenitentem, ne eam opinionem certo improbabilem sequatur; quod si deferere nolit, adeundus erit Confessor, cui ea poenitentis opinio sit saltem certo probabilis. Secundò dico, quod si Sacerdos poenitentis opinionem judicet falsam, dummodo simul judicet certo probabilem, tenebitur, auditis peccatis, eum absolvere; si ve dimissa propria, assentiendo opinioni poenitentis; si ve non dimissa, formato tamen simul iudicio reflexo de certâ opinionis poenitentis probabilitate, quod optimè stat cum directa de falsitate ejusdem opinionis; non enim hæc duo iudicia propria opponuntur, nempe directum, *Non licet*, & reflexum, *Certo probabile est licere*.

SECTIO III.

Argumenta contraria.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

P. Eliz. ait, quod nisi tueamur iudiciorum contradictionem, nemo sequi possit alienam, & questionem non esse aliter intelligibilem, n. 122. & 123.
Ostendo, quod nulla sit inter iudicium directum, & reflexum contradictio, quia habent diversum objectum, a n. 124. per totam sect.
An tolli humanum commercium, n. 127.

Quilibet interrogatus dicere tenetur, quod directe sentit, n. 128.
Prudens S. P. Ignatij suffragium, ib.
Sequens alienam contra propriam habet pro suo consensu dictamine iudicium reflexum, n. 131.
Judex rei criminalis non potest dicere res, nisi sub iudicio moraliter certis rei civilis sub sibi probabiliori, n. 132.
Male applicatur Confessarius paritas iudicis, ib.

Argues 1. ex P. Eliz. lib. 1. qu. 7. quod N. niti admittatur simul iudiciorum contradictio, nemo alienam sequi possit. Ut hoc ostendat, sumit hunc nostrum syllogismum reflexum: Cuique operari licet juxta minus probabilem: sed opinio docens licere hic, & nunc officii mutationem, est probabilis: ergo cuique licet juxta eam operari: ergo & mihi licet. Ecce, inquit, in hoc casu consequens, aliud est universale, cuique licet operari juxta minus probabilem: aliud est particulare, *Mihi licet*: sed mea opinio est, *Nulli licet*: ergo mea opinio, & primum consequens contrariè opponuntur, quia utraque est universalis, una affirmativa, alia negativa. Similiter secundum consequens, *Mihi licet*, & mea opinio, *Nulli licet*, quia una est particularis affirmativa, alia universalis negativa, contradictoriè opponuntur: ergo quoties contra meam opinionem opinor, sunt simul in mente duo iudicia contraria, & duo contradictoria, que simul puto vera.

Nec tatis est (ait §. 3.) dicere nullam ibi contradictionem, quia mea opinio directe dicit, *Non licet*; dictamen autem conscientie reflexum dicit, *Probabile est licere*: 1. quia (inquit) ego sequor eam mutationem officij secundum se, non ut subest probabilitati: 2. quia in me adsunt duo dictamina, nempe directum, *Non licet*, & reflexum, *Licet*: ergo etsi ea mutatio, ut est conformis dictamini reflexo, erit licita, quia tamen est disformis dictamini directo, non erit licita: ergo simul erit licita, & non licita: 3. quia hoc ipso quod dictamen reflexum dicit, *Mutatio ut probabilis licet*, adsunt simul duo contradictoria ex diverso motivo.

Sed contra 1. quia hæc unice probant, N. quod nemo, retento suo iudicio, sequi poterit alienam, quod non est ad rem, ut enim eam sequi liceat, satis est, ut vel dimisso proprio, & assumpto alio directo minus probabili, vel suspeso omni directo, appellando unice ad iudicium reflexum de certâ licentia probabilitate, alienam sequi possim.

Contra 2. quia sect. primâ ostendi nullam

in hoc casu iudiciorū contradictionē; numquam enim sunt simul in mente duo iudicia contradictoria, siue ambo absoluta, siue ambo modalia; siue unum affirmativum absolutum, *Licet*, & aliud modale negativum de modo, *Non est probabile licere*; qui enim negat esse probabile quod liceat, negat quod liceat. Sed unicè sunt in mente, vel duo modalia ambo affirmativa de modo, etsi unum sit negativum de dicto, nempe, *Probabile est licere*, *probabile est non licere*; quæ non opponuntur, quia utrumquè affirmat modum; vel unum absolutum, *Non licet*, aliud modale, *Probabile est licere*; quæ etiam non opponuntur, quia habent diversa objecta, & prædicata, unum enim negat licentiam, aliud affirmat probabilitatem licentiæ: vel si ambo sunt absoluta, & unum affirmativum, aliud negativum, hoc ipso quod unum est directum, aliud reflexum, habent diversum objectum; nam directum habet pro objecto non licentiam, reflexum habet pro objecto probabilitatem licentiæ. In formâ dico nullam ibi contradictionem; nam meum iudicium directum est, *Non licet*; meum reflexum non est purè, *Licet*, sed, *Licet ut probabile*; cum enim consequens reflectat ad præmissas, à quibus intertur, hæ autem sunt de probabilitate licentiæ, eo ipso to *licet* intelligendum est, *Licet ea mutatio ut est probabilis*. Rursus cum iudicium directum tendat directè in veritatem, seu licentiam rei ut est in se; reflexum autem in probabilitatem licentiæ, eo ipso habent diversum objectum: ergo nulla contradictio. Æquivocum est, quod non consideratur, quod idem consequens derivari possit à diversis præmissis; si to *licet*, & *non licet*, ambo sint iudicia directæ, erunt contradictoria; si vero to *non licet*, sit directum, to *licet*, sit reflexum, non erunt, quia objectum iudicij reflexi est longè aliud ab objecto directi. Ad reliqua pater.

N.
126
P. Eliz.

Argues 2. ex eodè l. c. §. 2. quod si questio non habeat hunc sensum, quod utrumque contradictorium possit simul iudicari verum, se non intelligere. Sed contra; quia quæro, an intelligat qualiter obediens contra propriam opinionem pareat Superiori, non solum in his quæ non sunt certo peccatum, ut omnes docent; sed etiam quæ sunt certo peccatum, ut solus ipse docet *lib. 3. qu. 14. pag. 182*. Si hoc intelligit, questionem nostram intelligit, cuius sensus est planissimus; est enim, quod idem objectum à me directè putatum in re illicitum, fieri possit, accedente principio evidenti, reflexè licitum: ex gr. esus est mihi directè illicitus, si tamen præcipiatur, sit reflexè licitus. Nec

potest replicare, ut replicat *pag. 179*. obediens parere posse, quia suum iudicium deponere debet. At hoc satis expugnatum, & adhuc dato, unicè probabitur, quod non liceat usus alienæ non depositæ propriæ; non autem quod non liceat eâ depositâ, quod nobis satis.

Argues 3. ex *lib. 1. qu. 17. §. 5.* per hanc sententiam humanum tolli convictum; quia interrogatus de digniori ex gr. potero dicere quod volo, nempe vel juxta meam, quod dignior sit; vel juxta alienam certo probabilem, quod non sit. Deinde *l. c. pag. 66. & lib. 3. qu. 12. §. 2.* ait, quod DD. tuentes licentiam sequi alienam contra propriam, non velint, nisi quod liceat consulere juxta alienam practicè probabilem contra propriam speculativè probabilem.

Resp. quod humanus convictus, cum sit tam de rebus, ut sunt in se, quam ut mihi, & aliis, probabilibus, ita utrique satisfacere debeo, cum hæc tamen lege, quod directè interrogatus de re, ut est in se, tencor dicere, quod ego directè sentio; alias non responderem ad rem; cum autem rogor de eadem ut aliis appareat, tencor quoque dicere, quid alij directè, & quid ego, & alij reflexè de ejus opinionis probabilitate sentimus. Addo confundi à P. Eliz. probabilitatem speculativam cum practicâ; ex hoc enim quod alijs sit speculativè probabile Petrum esse malum, infert esse mihi practicè probabile, quod cum infamare possim; cum tamen neminem possim infamare, nisi ejus infamia sit mihi, & aliis, non tantum probabilis, sed prorsus certa, ut ex S. Thom. *d. 8. dixi. s. 7. Quin*, ut rectè P. Teril. de Reg. Mor. *qu. 1. Tit. 22. a. num. 15. & qu. 42. n. 20.* argumentum non est ad rem; quia qui à iudice interrogatur, interrogatur quid ipse ex se, non ex alienâ opinione sentiat: ergo si juxta aliorum sensum respondeat, non respondebit ad rem. Idè dico de digniori. Addo quoque me posse considerare, quid alij gravissimi DD. sentiant, tunc autem eo ipso alienam opinionem facio meam, & ex alieno iudicio suffragium ferre, ut fecit S. P. Ignatius, qui cum de Generalis electione ageretur, hoc tulit suffragium: *Me excepto, vocem meam do illi, qui plura ad illud officium suffragia habuit*; cuius prudentiam mirè commendat notissimus illius Historicus P. Daniel Bartolus. Igitur tam procul à veritate est, quod Cellæden contra benignam sententiam objicit, ut illa ipsa, (ait P. Teril. *n. 18.*) quæ absurda reputat, sint sæpe aperitissimè honesta.

Ad aliud audiat P. Elizalde: *quælo vel unum Patrem Suar. 1. 2. tom. 3. d. 12. sect. 6. n. 9.*

n. 9. dicentem, Rectè facere T.T. qui licèt doceant suam ut probabiliorē, simul tamen docent, contrariam esse in praxi probabilem; & ita usus obtinuit, qui multum confirmat conclusionem nostram. Rogo modò, an T.T. docentes suam opinionem practicam ut probabiliorē, doceant illam, ut speculative, an ut practicè talem? Si ut speculative? ridendi erunt, quod propriam opinionem practicam nolint esse practicè probabiliorē: si ut practicè eo ipso Patris Eliz. explicatio ruit. Quin addo dicere sæpe T.T. quòd aliena, non nisi speculative, sola autem propria sit practicè probabilis: ergo sine jure dicitur, quòd T.T. tuentes licitum sequi alienam contra propriam, velint unicè dicere, licere sequi alienam practicè probabilem contra propriam speculative probabilem, quati eorum opinio practica non esset practice probabilius.

N. Argues 4. ex lib. 3. à qu. 11. ad 14. quòd agens, aut contulens contra propriam peccet, quia agit contra proprium dictamen de non licentia actus. Deinde qu. 13. §. 1. dicit nos cogi ad durissima concedenda; quòd idem ait P. Thyrsio *diff. 5. num. 19.* Judicet enim Petrus ex sua opinione quòd recipere quatuor in mutuo ob fortis recuperandæ periculum sit usura, modo ita arguitur: Recipere quatuor supra fortem est usura: sed Petrus potest hoc facere sine peccato: ergo potest facere usuram sine peccato. Maior est opinio Petri: Minor est opinio probabilis aliena, quam Petrus sequitur: ergo contradictoria.

N. Nego antec. nam dictamen proprium directum Petri est, *Non licet*, non autem est, *Non licet, supposita probabilitate*; dictamen autem ejus reflexum, & ultimum est, *Licet supposita probabilitate*. Ad aliud dico, quòd si Petrus absolute judicat, quatuor supra fortem esse usuram, eo ipso negabit minorem, quòd hoc possit sine peccato facere. Ut hoc sine peccato possit, reflectere debet supra certam probabilitatem minoris, hoc modo: Quatuor supra fortem est usura, sed certò probabile est, quòd non sit usura, ergo ea recipere non est usura. Miror autem, quòd P. Eliz. nos velit adeo rudes, ut putet nos ex contradictoriis rationibus ultimum concientie dictamen deducere.

N. Omitto reliqua ex P. Eliz. tum quia ex dictis constat solutio, tum quia illis plenè satisfaciunt P. Teril. qu. 46. de Reg. Mor. P. Eliz. Vnum tantum refero ex lib. 3. qu. 15. §. 3. Judex non potest judicare juxta minus probabilem, Confessor est judex, ergo absolvere nequit poenitentem sequentem opposi-

tam suæ, cum opposita sit Confessori minus probabilis. Respondeo judicem alium esse rei civilis, alium criminalis. Ille judicare non potest nisi de re secundum se, quia tota ejus cura est, ait P. Teril. qu. 42. de Reg. Mor. num. 24. videre cujus est res: ergo eam dare debet habenti jus probabilius. Confessor autem judicat de re, ut est in mente poenitentis, qui si ex certo probatu judicio, aut invincibili errore putet rem non esse peccatum, juxta ejus mentem sententia danda est. Quòd si loquamur de judice rei criminalis, hic non potest dicere jus contrarium, nisi formet judicium moraliter certum de reatu; atque adeo omnem, quem probabiliter, immo probabilius reum putat, absolvere debet. Hinc paritas judicis, si est de Civili, non est ad rem; si de criminali, est contra arguentem, & est in favorem Confessoris absolventis probabiliter non reum, etiam Confessori foret probabilius reus.

§. II.

Alia.

SUMMARIUM.

Ait P. Muniessa, hoc nostrum principium, Sequens alienam non peccat, esse tantum verum, si ea judicetur ut vera, n. 133.

Tam deposito, quam non deposito proprio judicio, potest quis operari juxta alienam, n. 135.

Operans retento suo judicio juxta alienam, non assentitur ejus veritati, sed tantum ejus probabilitati, adeoque aliter ei assentitur, ac ejus Patroni, ibid.

Inde non sequitur posse quem, nunc hoc, nunc illud prohibito opinari, & operari, n. 136. & 153. & 157.

Quando veritas non est certa, tunc Deus substituit certam etiam probabilitatem, n. 138.

Argues 4. ex P. Thyrsio *diff. 5.* & P. Muniessi. d. 28. de Incarn. *sect. 5.* qui vult neminem sequi posse alienam minus probabilem, nisi deposito suo judicio. Quòd totum etiam darem, vera erit nostra conclusio, quia tamen puto, quòd etiam non deposito liceat juxta eam operari, ideo solvo. Exemplificat autem in opinione probabili, quarum una cum P. Suar. affirmat, alia cum P. Valqu. & Card. de Lugo negat, quòd sit mortale ministrare Eucharistiam in peccato mortali. Arguit autem, quia vel ministrans illam in mortali deponit suum judicium, quòd sit peccatum mortale, vel non? Si deponit, inquit, quòd hæc facilitas deponendi proprium judicium sit inverosimilis: si non

non deponit, quomodo cum hoc iudicio directo, est mortale, unire potest hoc aliud, non est mortale? Nec satis est syllogismus reflexus, quod operans juxta certo probabilem non peccet, ego ita operor, ergo non pecco. Contra enim est, ait n. 54. quia vel operans juxta certo probabilem alienam ei assentitur ut veræ; & tunc maior est vera, minor est falsa: vel non iudicat veram? & tunc maior est falsa: illè enim tantum juxta alienam certo probabilem operans non peccat, qui eam iudicat veram, non qui iudicat falsam: sed Minister sequens opinionem P. Suar. iudicat oppositam falsam; ergo nequit juxta sententiam Patris Vasqu. operari, quin mortaliter peccet. Confirmat: Vt enim P. Vasq. suam sententiam negantem esse mortale sequitur ut veram, ita Minister juxta illam operans debet illam iudicare veram; sed non potest, quia simul essent duo iudicia contradictoria: ergo nemo, retento suo iudicio, potest juxta alienam operari.

N. Sed contra; quia si hæc proprii iudicii in
134. alienum mutatio est inverosimilis, quomodo omnem subditum, ut obedire possit, ad hanc inverosimilem mutationem obligat? Quomodo Confessor iudicans restituendum

P. Mun. esse, potest, juxta P. Munief. absolvere pœnitentem restituere nolentem? in quo casu Confessor, retento suo iudicio, absolvit juxta alienam, quam negat veram: ergo totum ab eo solvendum.

N. In formâ dico eum Ministrum posse, tum
135. deposito, tum non deposito proprio iudicio, operari juxta alienam, si sit illi certo probabilis. Potest dimisso, quia cum opinio negans esse mortale ministrare in mortali Eucharistiam, sit ei Ministro, ut suppono, certo probabilis, potest ob rationes, quibus illa nititur, iudicare directè non esse mortale, & sic opinando eam sibi minus probabilem, juxta eam operari. Potest non dimisso, non quidem directè assentiendo ei opinioni sibi minus probabili, nam simul in mente haberet duo iudicia contradictoria, nempe suum, est mortale, & aliud directum juxta P. Vasq. non est mortale, quod implicat; sed assentiendo certæ probabilitati opinionis Patris Vasq. illa autem duo iudicia, unum directum proprium de veritate propriæ opinionis, est mortale, aliud reflexum de certâ probabilitate (non dico veritate) opinionis P. Vasq. certo probabile est non esse mortale, non opponuntur. Si ergo distinguantur objecta iudicii directi, & reflexi, & quod P. Vasq. suæ opinioni assentitur ut veræ; Minister autem non assentitur illi ut veræ, sed ut certo probabili, nulla oppositio, & difficultas, nam

objectum iudicii directi est veritas; reflexi autem est certa probabilitas de eadem veritate. Hinc falsum est, quod Minister operans juxta opinionem P. Vasq. debeat ei assentiri, ut P. Vasq. nam P. Vasq. assentitur ei ut veræ; Minister autem eam directè iudicat falsam; ergo non potest ei assentiri ut veræ, sed tantum assentitur ei ut certo probabili. Falsum quoque, tunc tantum me posse aliquam opinionem sequi, quando iudico veram; satis enim est ad operandum, ut iudicem certo probabilem. Demum dico quod satis sit, ut possim, non verò necesse est, ut actu iudicem veram; potest autem Minister in sensu diviso à suâ oppositam iudicare veram.

Benè tamen notandum, ex hoc quod licet
ceat opinari, & operari juxta alienam certo probabilem, non sequi inde quod quis prohibito, toties quoties voluerit, hoc facere possit, ut rectè C. de Lugo d. 15. de Euchar. n. 47. & P. Card. tom. 1. quia in praxi plura sæpe absurda oriri possunt, quin hoc vix esse potest, nisi cum malâ fide.

Dices ex Herinex tom. 2. d. 4. n. 28. quod N. Deus, dum veritas haberi non potest, substituerit ejus loco opinionem operantis: ergo dici nequit, quod retentâ propriâ de non licentiâ rei, licitum sit nunc hoc, nunc illud operari. Vt enim si veritas constaret, una tantum esset regula, ita nunc una tantum opinio. Accedit, quod si dum alienam iudico non probabilem, eam sequi non possum, ita nec si iudico falsam.

Resp. Deum substituisse, tum veritatem, tum certam ejus probabilitatem. Porro dum sequor alienam, ex parte sequor, & non sequor illam, sed meam: non sequor, quia eam non iudico directè veram, ut ejus Patroni sequor, quia iudico illam certo probabilem: & sicut ejus Patroni, quia eam iudicant veram, dicunt, hoc licet; ita quia eam iudico certo probabilem, ex certâ ejus probabilitate infero idem, hoc licet. Igitur opinio aliena, ut vera, non est mea; ut certo probabilis, est mea. Aliud ex se patet; quia quod non est certo relativè probabile, non licet.

§. III.

Reliqua.

SUMMARIUM.

At P. Thyrs. quomodo operari possum juxta alienam, cujus DD. pmo falli, & rationes falsas? n. 139.

Non iudico certo falli, & falsas, n. 141.

Ait, quod licitum foret facere usuram sine peccato, n. 142.

Offensio

Offendo fuisse necessarium non esse semper iudicium directum, n. 144.

Quomodo formandum ultimum conscientie dictamen semper speculative verum, & certum? n. 145.

Idem consequens à præmissis diversis sequi potest, n. 146.

Aut licitum sine notâ bene defendere opinionem falsam, ib.

Aut, quod licitum semper esset ad gustum interrogantis respondere, n. 147.

Solvo, n. 148.

Palanco ait, licitum tantum sequi, quam iudico veram, n. 149.

Solvo, n. 150.

Per nos sequens alienam, facit, & sequitur reflexe suam, n. 151.

Et agit juxta suam conscientiam, que tunc est suum iudicium reflexum, ib.

Consultens alienam, consultit juxta Dei legem, non contra illam, quia certo probabiliter negat illam dari, n. 152.

P. Scildere ait esse contra principium, Quod tibi non vis, & quod satis est credere in generali, n. 154.

Opinio non mutat physicum, sed moralem statum rei, n. 156.

Solvo, quod dicit de conductore gabellarum, n. 157.

Quæ sunt in particulari credenda, tenemur in particulari credere, n. 158.

N. 139. **A**rgues 6. ex P. Thyf. *disf. 5. à num. 4.* quia cum tota opinionis oppositæ auctoritas, & ratio satis non sit, ne eam iudicem falsam, ejus rationes infirmas, ejus Patronos falli, quomodo moveri possum ad operandum juxta illam? Hæc est summa rationum, quas doctè promovet.

N. 140. **R**esp. me oppositam opinionem, nec certo falsam judicare, nec ejus rationes certo infirmas, nec ejus Autores certo falli, hæc enim omnia non nisi probabilius iudico. Cum ergo, juxta nos, certa maior probabilitas non tollat, sed stet cum certâ minori probabilitate opinionis oppositæ, consequenter nullum in hoc absurdum, quod ego iudicem probabilius eam opinionem falsam, rationes infirmas, & Autores falli, ita tamen ut simul, & semel iudicem eamdem opinionem esse mihi certo probabilem, ejus rationes esse mihi certo probabiliter solidas, ejus AA. certo probabiliter non falli; & ex hoc reflexo supra certitudinem probabilitatis ejusdem opinionis iudicio formem dictamen practicum de licentiâ operis, quomodo ejus Patroni formant iudicium directum de veritate, seu de licentiâ ejusdem operis? Si

enim, juxta Adversarios, iudicium probabilius de veritate licentiæ satis est ad operandum, cur mihi satis non erit iudicium certum de probabilitate ejusdem licentiæ, præsciendendo à directâ veritate? Si autem hoc satis est, suspensio omni iudicio directo de ejus opinionis veritate, & falsitate; hoc quoque satis erit, non deposito proprio de ejus opinionis falsitate iudicio. Nulla enim in his oppositio non licet, certo probabile est licere; cum enim dico, *non licet*, non dico, *non licet certo*; sed dico, *probabilius mihi est, quod non licet*; cum hoc autem stare potest aliud, certo mihi probabile est, quod licet.

Dices ex eodem n. 17. Si ita est, de nullâ re potero absolute dicere, non licet, sed tantum, non licet, si opposita non sit probabilis. Nego, quia tunc queritur directè veritas, an res in se liceat, vel non liceat, non verò probabilitas licentiæ, aut non licentiæ.

Argues 7. ex num. 19. Accipere aliquid in mutuo ratione periculi est usura; sed possum hoc facere sine peccato: ergo possum facere usuram sine peccato. Sed huic meo n. 131. jam respondi. Modò addo quatuor esse in argumento terminos, nam in maiori tò accipere aliquid ultra sortem, stat directè; iudico enim directè verum, quod accipere illud sit usura; in minori autem tò hoc, seu recipere aliquid ultra sortem, stat reflexè, quatenus, ut mihi probabile est non esse usuram: ergo consequentia non tenet.

Argues 8. quia judicare licere mihi contra tractum, ut subest aliorum opinioni, non est nisi, quod pro ejus licentiâ dentur graves DD. & rationes; sed hoc non est satis, ut ego rectè operer, quia parum prodest quòd alii iudicent licere, si ego iudico non licere; ego enim à meâ, non ab alienâ conscientia iudicandus sum.

Resp. tam procul esse, ut semper præmittendum sit iudicium de rei veritate, quin prudentia, nisi in pluribus velimus voluntariè errare, docet suspendendum, & ad alia principia reflexa recurrendum, ex quibus deducamus dictamen conscientie practice verum de licentiâ talis operis. Patet hoc 1. in Confessore, qui non iudicat veram, sed falsam opinionem penitentis, & tamen ex aliis principis format sibi dictamen, quod licitè absolvat penitentem sequentem opinionem iudicio Confessarii falsam. Secundo patet in obediante, qui cum suo iudicio de non licentiâ rei præceptæ format ex obedientie regulâ dictamen de licentiâ rei præceptæ. Patet in filio, qui ut pareat homini tanquam patri, non est necesse, ut eum iudicet patrem, sed satis ut ex morali certitudine

N. 141. P. Thyf.

N. 142. P. Thyf.

N. 143.

N. 144.

dine formet dictamen reflexum quod homo
ille ut pater honorandus sit. Patet in Hostia
publico cultui exposta, quam ut venerer,
non est necesse, ut eam directe iudicem con-
secratam; sed satis, ut ex certitudine morali
reflexa de ejus consecratione, formem dicta-
men de ejus veneratione. Patet in Confessa-
riis non ex toto doctis, qui saepe apri non
sunt inter DD. rationes, & opinionum ve-
ritates distinguere; sane hi abique eo quod
directe assentiantur hunc contractum lice-
re, possunt reflexe formare dictamen de ejus
licentia, hoc pacto, Certo probabile est li-
cere quod S. Thom. licere affirmat, sed affir-
mat hunc contractum licere; ergo certo pro-
babile est licere: ergo ut contractus incatur,
non est necessarium semper iudicium direc-
tum; sed satis ut vel directe iudicem lice-
re, vel ne errem, satis erit formare iudicium
reflexum, quod ille contractus sit certo pro-
babiliter, aut probabilius licitus.

N. 145. Hoc scio, quod perspicaciores TT. ut
explicent, qualiter ultimum conscientiae di-
ctamen debeat semper esse certo prudens,
& non tantum practice, sed etiam, si fieri
potest, speculative verum, solent hos syl-
logismos rejicere: Omnis Hostia conse-
crata est adoranda, haec est talis, ergo ado-
randa: Pauperi est subveniendum, hic est
talis, ergo subveniendum. Rejiciunt, inquam,
quia minor potest esse falsa; ergo consequen-
tia, quae est conscientiae dictamen, erit spe-
culative imprudens, & falsa. Dicunt ergo
aliter formandos: Omnis Hostia mihi certo
moraliter consecrata est adoranda; haec pu-
blico cultui exposta est mihi certo morali-
ter consecrata; ergo haec adoranda: Omnis
mihi invincibiliter pauper est succurrendus;
hic meo iudicio est talis; ergo hic succurren-
dus. Ecce omnes haec consequentiae sunt di-
ctamina conscientiae, non tantum practice,
sed etiam speculative vera, quia omnes praemissae
sunt verae etiam speculative. Ecce
quoque quod ad talis Hostiae adorationem,
& pauperis subventionem a nullo dirigitur
iudicio directo, quod hic sit pauper, quod
haec Hostia sit consecrata, quia possunt esse
iudicia falsa; sed a reflexo de morali certitu-
dine; nempe, certum mihi moraliter est
hanc Hostiam esse consecratam, & hunc esse
mihi invincibiliter pauperem: ergo tantum
abest, ut ad honeste operandum necesse sem-
per sit iudicium directum de honestate rei,
quin, cum hoc saepe possit esse falsum, num-
quam formari poterit tunc conscientiae di-
ctamen speculative verum. Satis igitur, ut
alibi solide, & fuse ostendam, certum de
probabilitate, aut probabilitate relativa

honestatis iudicium, ut honeste operer.
Ecce 3. quod haec eadem consequentia, N.
ergo haec Hostia est adoranda, sequitur tam
ex primis praemissis directis, quarum aliqua,
ut dixi, potest esse falsa, quam ex secundis
reflexis, quarum utraque semper est, tum
practice, tum speculative vera. Ecce de-
mum fere nullum errandi periculum utendo
iudicio reflexo moraliter certo de probabili-
tate licentiae; contra frequens utendo iudi-
cio directo de licentia: ergo ut licite operer,
satis est, vel iudicium directum probabile,
aut probabilius de licentia, vel reflexum mor-
raliter certum de probabilitate, aut proba-
bilitate licentiae. Tandem non video,
quomodo, juxta P. Thyrs. n. 25. licitum sit
sine nota bene defendere externam opinionem,
quam iudico fallam, non tamen practice,
si sit certo probabilis, quasi forum conscientiae
non obligaret ad defendendum vera,
quin daret licentiam defendendi falsa; bene,
& sine nota.

Argues 9. ex n. 34. Si liceret respondere, N.
juxta aliorum conscientiam a me putatam
fallam, possem semper respondere, ubi dan-
tur opiniones probabiles, ad gustum inter-
rogantis, & consulentis; & omne Theolo-
giae studium esset vanum; ad quid enim dis-
currere, an hoc sit licitum, vel non, si li-
citum est operari juxta opinionem a me re-
probatam ut fallam?

Sed contra; quia instatur paritate Con-
fessoris absolventis juxta opinionem, quam
reprobavit ut fallam, & est ad gustum pen-
nitentis. Deinde vel interrogor de mea opi-
nionem, ut plerumque fit; & tunc tencor di-
cere quod sentio: vel interrogor de certa
probabilitate opinionis adversae; & tunc de-
beo scire etiam respondere de illa. Immo
tantum abest, ut studium vanum sit, quin,
juxta nos, maius esse debet; deo enim
scire, tum respondere directe de veritate
meae opinionis, tum reflexe de probabilitate
oppositae.

Argues 10. ex Palanc. qu. 37. per totam: N.
Hoc principium, Licet sequi omnem certo
probabilem, vel significat, quod est iudice-
tur falsa, vel tantum si iudicetur vera; si
hoc; ergo ille tantum eam sequi poterit, qui
eam iudicat veram: si illud; principium est
falsum, praesertim quod probabilitas opi-
nionis falsa est fallax.

Resp. significari, quod licitum sit eam N.
sequi, etsi a me putetur falsa, dummodo si-
mul a me putetur certo probabilis; ut enim
non repugnat, ut neutrum contradictorium
sit mihi probabile, ut constat in his, astru-
sunt, & non sunt paria, ita neque ut utrum-
que

que sit mihi certò probabile. Nego autem quod probabilitas opinionis fallax sit in re fallax; quia sæpe probabilitatis opinionis vera est in re fallax, cum ex Arist. plura falsa sint probabiliora veris.

Dices 1. ex eodem: Quilibet timet praticare oppositum ejus quod docet, quia hoc est contra lumen naturæ. Resp. quod qui dimissa propria, alienæ assentiendo, directè facit suam; aut retentâ propriâ opinione, judicat alienam certò probabilem, numquam praticat oppositum ejus quod docet: nam docet, tum quòd liceat assentiri directè opinioni minus probabili; tum quod retento suo judicio directò de falsitate alienæ opinionis, liceat formare judicium certum reflexum de probabilitate alienæ; ergo semper praticat quod docet. Quare ad summum praticat oppositum ejus quod directè docet, nam docet ex gr. pieturam die festo non licere; quia tamen simul docet reflexè, quòd opinio asserens licere, sit certò probabilis, & sub hoc judicio reflexo operatur, idèò licitè pingit, & non praticat oppositum ejus quod reflexè docet. Hinc ruit quòd sæpe objicitur, quòd qui retento suo judicio directò operatur, contra conscientiam operetur; hoc enim nego; nam conscientia ejus, qui licitè pingit ex certo de probabilitate opinionis oppositæ judicio, non est ejus judicium directum, *Non licet pictura*, sed est ejus reflexum, Pictura ut certo probabilis de licentiâ licet; atque adeo sequitur conscientiam propriam reflexam contra suam opinionem directam, quæ tunc non est conscientia. Adde Magistros teneri regulariter vivere juxta suum judicium de veritate, cum eorum præcipuus finis sit veritas, adeoque sine causa non debent praticare oppositum.

Dices 2. ex *num. 15.* quòd consulens juxta alienam, consulat contra Dei legem, quam judicat dari; ergo mentitur, nam mente dicit, *Non licet*; ore, *Licet*. Nego mentiri, quin verum dicit; mentiretur, si retento suo judicio directò alienam judicaret directè veram, hoc autem implicat. Nego quoque quòd consulat contra Dei legem; etiam enim directè judicat eam dari, attamen per ultimum reflexum conscientie dictamen certum de opinionis oppositæ probabilitate negat eam Dei legem dari. Ad aliud dico, quòd mente non tantum dicit directè, *Non licet*, sed simul etiam reflexè dicit, *Licet*; ergo non mentitur.

Dices 3. ex *n. 29.* Si liceret sequi alienam, liceret pro libito nunc hoc, nunc hoc oppositum operari. Resp. quòd sequens reflexè alienam non mutat suam opinionem, nam

tam directæ, *Non licet*, quàm reflexæ, *Certò probabile est licere*, est ejus propria opinio. Operari autem opposita sub diverso judicio non est malum, nam etiam Probabilioritatis sæpe mutant suam opinionem.

Omitto reliqua Palanci argumenta, quorum pleraque a P. Eliz. aut a P. Thyro sumptis, & soluta sunt. Vnum tamen agrè fero, quòd neget Theologo consiliatio licere remittere consententem ad oppositæ opinionis DD. sed tantum, ut ait *n. 25.* possit se habere permisivè. Agrè fero, quia quilibet Theologus debet tantum sibi deferre, ut ne quidem oppositæ sententiæ DD. ejus judicio, certò probabiliter sapiant.

Argues 12. ex P. Scildere *tr. 2. cap. 2. à n. 25.* quia qui in suis negotiis sequitur judicium eorum, quos putat errare, est imprudens: 2. quia non servatur naturæ lex, Quod tibi non vis, alteri ne feceris; fac enim, ut gabellarum conductor sit simul debitor earum, iste ut conductor judicans gabellas esse justas, potest eas ab aliis exigere; ut autem debitor, quia simul probabiliter judicat non esse justas, poterit licitè non solvere: 3. quia Sectarii, apud quos, ait P. Scild. non pauci docti, poterunt in particulari credere, quæ sunt de necessitate medi; quæ autem non sunt, poterunt sub hoc judicio generali credere, Credo omnia, quæ Deus revelavit, absque eo quòd ea in particulari credant, excusando se ob suorum DD. auctoritatem: 4. quia putans priorem conjugem vivere, non potest alteri nubere mixus auctoritatè assentientium cum probabiliter mortuum.

Sed contra; quia omnia ab eo solvenda; N. et si enim *l. c. n. 57.* neget subditum putantem rem præceptam esse malam, posse parere Prælato: & *n. 119.* neget, ubi res est de Sacramenti valore, quòd Confessor sequi possit alienam de valore actus; attamen *num. 120.* concedit, quòd si res non sit de valore Sacramenti, sed de aliâ re, si videat Confessor, quòd opposita sit probabilis, poterit illi Sacramentum conferre; immò *n. 121.* docet quòd pœnitens de mortali confessus, sit sub mortali ab eo Confessore absolvendus.

Ad 1. dico, quòd opinio nil faciat circa physicam rei naturam, sicut facit circa licitum, & illicitum: ergo omnis paritas physica imprudenter ad res morales trahitur, ut alibi fusè dicam.

Ad 2. retorqueo: Fac ut idem, ut conductor, adeat unum Probabilioritatem, qui dicat rectè eum exigere gabellas; fac ut solutor earum adeat alium Probabilioritatem, qui judicet eum non teneri gabellas solvere:

P. Eliz.
P. Thyro.
Palanc.

N.
154.
P. Sc. d.

N.
155.

P. Sc. d.

N.
156.

N.
157.

vere: en idem absurdum. Dein dico, quòd eo ipso quòd certò probabile iudicium formet, quòd gabellæ sunt iustæ, eo ipso sicut ut conductor potest eas exigere, ita ut debitor teneatur eas solvere; nec enim potest ut conductor formare iudicium probabile de gabellarum iustitiâ, & ut debitor formare aliud probabile de earum iniustitiâ, nam in hoc adest mala fides, & refistit lex naturalis, Quod tibi non vis, alteri ne feceris, statuendo sibi unam legem, & oppositam aliis.

N. Ad 3. dico contra certum nil dari probabile; cum ergo certa lex detur credendi, quod Deus, & visibiles Fidei regulæ credendum proponunt, & quidem ad eo modo credendum, quo nos obligant, ideo nulla est Heterodoxorum, etsi sapientum, probabilitas; nullus pretextus credendi in particulari quæ sunt de necessitate mediis; & in generali alia, quæ de necessitate præcepti; sed in particulari ea omnia credenda sunt, quæ Ecclesia Catholica vult, ut in particulari credantur.

N. Ad 4. dico jure canonico vetari, ut ipse 159. P. Scildere n. 124. fateatur, ne quis ineat matrimonium, nisi mors primi conjugis certò constet.

SECTIO IV.

Corollaria ex distis.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Probabilioristarum principia obedientiam impossibilitant, n. 160.
 Nulla materia tot dubiis subjecta, quot obedientia, n. 161.
 Inductio, & Doctores, ib.
 An subditus putans probabilius illicitam rem præceptam, teneatur parere, n. 162.
 DD. ibid.
 Teneatur, cur? n. 163. 164.
 Sola peccati certiudo in re præceptâ excusat ab obedientiâ, ib.
 Intellectus facile in suâ opinione à proprio amore illuditur, n. 164.
 Suppositis Probabilioristarum principiis, impossibilis obedientia, n. 165.
 Confessor auditis peccatis tenetur absolvere penitentem, si hujus opinionem putet certò probabilem, n. 166.
 DD. n. 167.
 Absolvendus moribundus, si datur opinio certò probabilis de licentiâ, ib.
 An conditio à Confessore exprimenda? ib.
 Plerique Probabilioristæ timentur, quòd Confessor

possit absolvere penitentem oppositum opinionem, n. 168.

Offendo posse, sive retentâ, sive dimissâ propriâ opinione, ib.

Si non posset, nec Thomista, nec Scotista se minus absolvere poterunt, ib.

Ut se habet tutum ad tutius, ita probabile ad probabilius, n. 169.

An Confessor sub mortali, aut veniali teneatur penitentem, auditis peccatis, absolvere? 170.

DD. ibid.

Mea mens, ib.

Confessor iudicans penitentis opinionem certò improbabilem, nequit eum absolvere, n. 171.

PRimum corollarium est oculare obedientiæ emolumentum, & summa parenti di facilitas persistentibus Probabilioristarum principis: contra ingens parenti difficultas, persistentibus Probabilioristarum fundamentis.

Sanè vix aliqua est tot controversiis subiecta materia, ac est obedientia; ex gr. quaeritur, an Abbatissa possit in virtute obedientiæ præcipere? Negat P. Sanch lib. 6. Summ. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 20. P. Palao tract. 16. disp. 4. pun. 2. n. 3. M. Passerinus 2. 2. qu. 186. art. 8. n. 93. An Prælati teneatur exprimere causam præcepti, ut subditi teneantur obedire? Affirmant Peyrin. & alii apud Passer. l. c. n. 121. negant alii. An quæ supra regulam sint materia voti obedientiæ? Negat S. Thom. 2. 2. qu. 104. art. 5. Caietanus, S. Bonav. & alii cum M. Passer. n. 140. etsi alii affirmet. An Prælati possit præcipere difficilia, & quæ, & quibus? An subditi in re dubiâ teneatur obedire? Quæ, & alia apud TT. citatos sæpe inter se oppositos, & M. Passer. l. c. n. 194. & n. 282. facile reperies. Sed quid plura? Sumo in exemplum præcipuam circa obedientiam controversiam, an subditus probabilius putans rem præceptam esse malam, possit, & debeat obedire?

Retuli supra num. 47. & 48. pro utraq; opinione plures; & modò præter DD. ibid. eadem à me citatos, recito pro eadem opinione affirmante subditum posse, immò teneri obedire, etsi rem præceptam probabilius iudicet esse malam; refero, inquam, eundem P. Suar. tom. 5. de Censuris disp. 4. sect. 6. & tomo de Legibus lib. 6. cap. 8. n. 6. P. Sanch in Summâ lib. 6. cap. 3. P. Vasqu. 1. 2. disp. 62. cap. 6. P. Granado 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 3. Bossium in Moralibus Variis part. 1. tit. 1. de Consc. opinativâ §. 24. an. 250. ad 281. Bartholom. à S. Fausto ex Reformatâ Cisterciensis Ordinis Congregatione in Theatro